



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Sermo Synodalis, Ex Codice Manuscripto Monasterii Neresheimensis,  
scripto anno Christi 1009. quod ex verbis istis colligitur: Ab initio mundi  
vsque in aduentum Domini secundum Hebraicam veritatem ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

dies tredecim: obiit 13. Maii, anno salutis 1012. sepultus est in basilica Lateranensi, cum hac sepulcrali inscriptione:

*Quisquis ad hæc tendis sublimia limina lector,  
Et caperis tantæ nobilitate domus,  
Intentis oculis aulæ percurrere raras  
Define materias, arte iuuante manus.  
Lumina cum gressu prudente \* secula coercens,  
Respice sollicitus quid velit hic titulus.  
Hic tumulata iacent pastoris membra sereni,  
Quem decus ecclesiæ contulit Omnipotens.  
Pauperibus panis, nudorum uestis opima,  
Doctor & egregius qui fuit in populo.  
Iura sacerdoti lætas dum vedit aristas,  
Cætibus æquauit nauiger angelicis.  
Albanum regimen lustro venerabilis uno  
Rexit, post summum ducitur ad solium;  
In quo mutato permanxit nomine præful,  
Sergius ex Petro; sic vocatus erat.  
Ductus mente pia, Jesu, dic, parce Redemptor:  
Vtque vicem capias, dic: Deus hunc habeas.*

*Qui sedidit annos 11. & menses 8. & dies 13. indictione x.  
anno dominicæ incarnationis millesimo decimo tertio.*

---

## S E R M O S Y N O D A L I S,

EX CODICE MANVSCRIPTO MONASTERII

Neresheimensis, scripto anno Christi 1009. quod ex verbis istis colligitur: Ab initio mundi usque in aduentum Domini secundum Hebraicam veritatem anni sunt 3956. secundum vero interpretes anni 5699. colliguntur autem anni omnes a creatione primi hominis usque in septimum annum Henrici imperatoris secundum Hebraicam veritatem 4965. secundum vero interpretes 6708.

*Sermo synodal is qui in singulis Synodis parochianis presbyteris enuntiandus est.*

**F**RATRES presbyteri & sacerdotes domini, cooperatores nostri ordinis estis. Nos quidem, quamvis indigni, locum

locum Aaron tenemus, vos locum Eleazari & Ithamaris. Nos vice duodecim apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta discipulorum estis. Nos pastores vestri sumus, vos pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo pastori Domino Iesu Christo, vos de pleibus vobis commissis. Et ideo, carissimi, videte periculum vestrum. Admonemus & obsecramus fraternitatem vestram, ut de communi salute vestra cogitantes attentius audiatis admonitionem nostram, & quæ vobis suggerimus memoriae commendetis, & opere exercere studeatis.

In primis admonemus, ut vita & conuersatio vestra irreprehensibilis sit, scilicet ut cella vestra sit iuxta ecclesiam, & in ea feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturna surgite. Cursum vestrum certis horis decantate. Missarum celebrationes religiose peragite. Corpus & sanguinem cum timore & reuerentia sumite. Vasa sancta propriis manibus abluite & abstergite. Nullus cantet Missam nisi ieunus. Nullus cantet qui non communicet. Nullus cantet sine amictu, alba, stola, fanone, planeta. Et hæc vestimenta nitida sint, & ad nullos alias usus sint. Nullus cum alba qua in suos usus virtutur presumat Missam cantare. Nulla femina ad altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat. Corporale mundissimum sit, altare coopertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur, nisi capsæ & reliquiæ, aut forte quatuor euangelia, & buxida cum corpore Domini ad infirmos, cetera in nitido loco recondantur.

Missale plenarium, lectionarium, & antiphonarium, unaquaque ecclesia habeat. Locus in sacrario aut iuxta altare sit præparatus, ubi aqua effundi possit quando sacra vasa abluntur, & ibi vas nitidum cum aqua dependeat, ibique sacerdos manus lauet post communionem. Ecclesiæ sint coopertæ bene & cameratae, & atrium sit saepe munatum. Nullus extra ecclesiam per domos aut in locis non cameratis Missam cantet. Omnis presbyter clericum habeat aut scholarem, qui epistolam vel lectionem legat, & ad Missam respondeat, & cum quo psalmos cantet. Nullus solus Missam cantet.

Nullus cum calcariis, quos sporones rustice vocamus,  
*Concil. Tom. 25.*

& cultellis extrinsecus dependentibus Missam cantet,  
quia indecens est, & contra regulam ecclesiasticam est.

Calicem & oblatam recta cruce signate, id est non  
in circulo, & variatione digitorum, ut plurimi vestri fa-  
ciunt, sed strictis duobus digitis & pollice intus recluso, per  
quos Trinitas innuitur, istud signum  $\ddagger$  recte facere stude-  
te, non enim aliter quidquam potestis benedicere. Infir-  
mos visitate, & eos reconciliate, & iuxta apostolum oleo  
sancto inungite, & propria manu communicate. Et nul-  
lus presumat tradere communionem laico, aut feminæ ad  
deferendam infirmo.

Iac. 5.

Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, aut infir-  
mis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel  
munus exigat. Videte ne per negligentiam vestram ullus  
infans sine baptismō moriatur. Nullus vestrum sit ebrio-  
sus & litigiosus, quia seruum Domini non oportet litiga-  
re. Nullus vestrum arma ferat in seditione, quia arma ve-  
stra debent esse spiritualia. Nullus canum aut auium io-  
cis inferuiat.

Nullus in tabernis bibat. Vnusquisque vestrum quan-  
tum sapit plebi suæ de euangeliō vel Apostolo die domini-  
co, vel festis diebus, annuntiet. Verbum Domini debetis  
prædicare; curam pauperum, peregrinorum, & orphano-  
rum habete, & eos ad prandiola vestra inuitate. Estote  
hospitales, vt alii a vobis exemplum bonum sumant.

Omni die dominica ante Missam aquam benedictam  
facite, vnde populus aspergatur, & ad hoc solum vas ha-  
bete. Sacra vasa, & vestimenta sacerdotalia nolite in pi-  
gnore dare negotiatori, aut tabernario. Nullus vestrum v-  
furias exigat, & conductor sui fenoris existat. Res & facul-  
tates, quas post diem ordinationis vestræ acquiritis, scia-  
tis ad ecclesiam pertinere. Nullus sine scientia & consensu  
nostro ecclesiam acquirat. Nullus per potestatem sacerdoti-  
rum ecclesiam obtineat. Nullus ecclesiam ad quam titu-  
latus est relinquat, & ad aliam quæstus causa migret. Nul-  
lus plures ecclesias teneat sine adiutorio aliorum presby-  
terorum. Nullatenus vna ecclesia inter plures diuidatur.  
Nullus alterius parochianum, nisi in itinere, & cum pla-  
citum fuerit, ad Missam recipiat. Nullus in alterius paro-  
chia Missam cantet. Nullus pœnitentem inuitet carnem

manducare & bibere vinum, nisi pro eo ad præsens eleemosynam fecerit. Nullus præsumat baptizare nisi in vigilia paschæ & pentecostes, nisi propter periculum mortis. Vnusquisque fontes habeat, & si non potest lapideo, habeat aliud vas ad hoc præparatum, in quo nihil aliud fiat. Videte ut omnibus parochianis vestris symbolum & orationem dominicam insinuetis. Ieiunium quatuor temporum, & rogationum, & litaniæ maioris, plebibus vestris omnimodis obseruandum insinuate: feria quarta ante quadragesimam plebem ad confessionem inuitate, & ei iuxta qualitatem delicti poenitentiam iniungite, non ex corde vestro, sed sicut in poenitentiali scriptum est. Quater in anno, id est natale Domini, & cœna domini, pascha, & pentecoste, omnes fideles ad communionem corporis & sanguinis Domini accedere admonete. Certis temporibus coniugatos ab vxoribus abstinere exhortamini. Eulogias post Missam in diebus festis plebi tribuite. Nullus induatur vestimentis laicalibus. Nullus rem, aut possessionem, aut mancipium ecclesiæ vendere, aut commutare, aut quocumque ingenio alienare præsumat.

Diem dominicum & alias festiuitates absque opere seruili a vespera vsque ad vesperam celebrari docete. Cantus & choros mulierum in atrio ecclesiæ prohibete. Carmina diabolica, quæ super mortuos nocturnis horis vulgus facere solet, & cachinnos quos exercent, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præsumat Missam cantare, sed & plebibus vobis commissis hoc annuntiate. Ad nuptias nullus vestrum eat. Omnibus annuntiate vt nullus vxorem accipiat nisi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete, & vt nullus ad proximam sanguinis sui accedat, & vt alterius sponsam nullus ducat. Porcarios & alios pastores vel dominica ad Missam venire facite. Patrii filiolis suis symbolum & orationem dominicam insinuant, aut insinuari faciant. Chrisma semper \* sub cera sit sigillo, propter quosdam infideles. De ministerio etiam vobis commisso vos admonere curamus, vt vnuisque vestrum, si fieri potest, expositionem symboli & orationis dominicæ iuxta traditionem orthodoxorum penes scriptas habeat, & eam pleniter intelligat, & inde, si nouit,

*Concil. Tom. 25.*

L1 ij

\* forte  
sub cera  
fir & si-  
gillo,

prædicando populum sibi commissum sedulo instruat, si non, saltem teneat vel credat. Orationes quoque Missarum, & Canonem bene intelligat, & si non, saltem memoriter ac distincte valeat proferre. Epistolam & euangelium bene legere possit, & vtinam ad literam eius sensum posset manifestare. Psalmorum verba & distinctiones regulariter ex corde cum canticis consuetudinariis pronuntiare sciat. Sermonem, ut supra diximus, Athanasii episcopi de fide Trinitatis, cuius initium est, Quicumque vult, memoriter teneat. Exorcismos & orationes ad catechumenum faciendum, ad fontem quoque consecrandum, & reliquas preces super masculum & feminam, pluraliter ac singulariter distincte proferre valeat. Similiter baptizandi, ad succurrendum infirmis, ordinem quoque reconciliandi, iuxta modum sibi canonice seruatum, atque vngendi infirmos, orationes quoque eidem necessitati competentes, bene saltem sciat legere. Similiter ordinem & preces in exequiis agendis defunctorum. Similiter exorcismos & benedictiones salis & aquæ memoriter teneat. Cantum nocturnum atque diurnum nouerit.

Computum minorem, id est epactas concurrentes regulares, terminum paeschalem, & reliquos sapiat, si est possibile. Martyrologium & poenitentiale habeat, & cetera. Volumus autem, fratres carissimi, quatenus quæ nostra percepistis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis studeatis operibus adimplere, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

*CONIECTVRA MARCI VEL SERI  
de auctore superioris sermonis.*

Cum codex Neresheimi in Augustana dioecesi, anno Christi 1009, hoc est trigesimo sexto post mortem sancti Vdalrici, scriptus sit, verisimile fit synodales has constitutiones a sancto Vdalrico fluere, quas sequentes deinde episcopi, quod inscriptio innuit, saepius repetere & proponere consueuerint. Primum vero earum auctore sanctum Vdalricum esse, magnopere confirmat locus vetusti scriptoris in eius vita cap. 6. *In quibusdam autem diebus capitula cum clericis habere dispositi sunt, in his locis ubi haec aptissime fieri archipresbyteri putauerunt, & ubi eum ab aliis mundanis Conciliis absolucionem esse arbitrabantur. Congregatis ante se clericis, archipresbyteros, & decanos, & optimos quos inter eos inuenire*

potuit, caute interrogavit qualiter quotidianum Dei seruitum ab eis imploretur, & qualiter populus illis subiectus ex eis regeretur in studio predicandi, docendique, quantaque cautela infantes baptizarentur, infirmi visitarentur & vnguentur, defunctorum etiam corpora quanta compunctione sepulturis traderentur, qualiter de decimis & oblationibus fidelium pauperes recrearentur, viduis & orphanis in universis necessitatibus subvenirent, quantoque studio in hospitibus & aduenis Christo ministrarent: si subintroductas mulieres secum habuissent, & inde crimen suspicionis inciderent: si cum canibus vel accipitribus venationes sequerentur, si tabernas causa edendi vel bibendi ingredierentur, si turpes iocos in usu haberent, si ebrietates & commissationes supra modum amarent, si rixis & contentionibus & emulationibus deseruerint, si nuptiis secularibus interessent, vel si aliqui eorum ministeria indecentia in consuetudine haberent, si per Kalendas more antecessorum suorum ad loca statuta conuenirent, ibique solitas orationes explerent, suasque ecclesias ad tempus reuiserent, si obedientiam eorum magistris prabuissent, & in toto suo ministerio deuoti & apti manere studuissent. Cum pleræque harum interrogationum constitutionibus respondeant, tempus præterea locusque conueniat, profecto nihil verat vni eidem sancto Vdalrico constitutiones & interrogations tribuere.

## NOTA SEVERINI BINII.

<sup>a</sup> *Sermo synodal. ] Amice lector, hunc sermonem synodalem post primam editionem Conciliorū secundæ inserendum misit ad me amplissimus dominus Marcus Velferus piæ memorie, quondam inclytæ reipublicæ Augustanæ duumvir, sequens prisci æui monumentū, vna cum coniectura de auctore: operæ precium facturum me putaui, vt latenter sermonem omnibus pastoralibus, Synodis celebrandis utilissimum, e tenebris erutum in lucem emitterem. Quod ecclesiasticæ disciplinæ faustum sit, eritque ut spero. Si qui in sortem ac ministerium Domini coaptati sunt, hæc tam salutaria monita in intimas medullas demittant, vt ad eorum præscriptum vitam, mores & actiones suas conformare studeant. Cum incertum sit quoto anno ab Vdalrico habitus fuerit, præfixum initio scripti libri annum retinendum esse iudicau. ]*

ANNO  
CHRISTI  
1011.

---

## CONCILIVM BAMBERGENSE

DE CONTROVERSIIS QVIBVS DAM EPISCOPORVM  
celebratum anno M XI. tempore Sergii papæ IV.

## NOTA.

<sup>a</sup> *Concilium. ] Cum Henricus rex ad dedicationem basilicæ Bambergensis a se constructæ Cœtum plusquam triginta episcoporum conuocasset, ab iisdem ista occasione hoc loco congregatis habita est*

L1 iij

Causa Con.  
cili.